

EXSEQUIAS
VIRI MAGNIFICI
NOBILISSIMI AMPLISSIMI
CONSULTISSIMI
NICOLAI
STAMPEELII
J. U. D.

ET

REIPUBLICAE HAMBURGENSIS
CONSULIS

D. II. JUNII MDCCXLIX.

FUNEBRI POMPA AD AEDEM S. NICOLAI DUCENDA
CELEBRANDAS


OBSERVANTER INDICIT

D. HENRICUS THEOPHILUS SCHELLHAFFER
PHIL. PRACT. PP. ET H. A. GYMNAS. RECTOR.



HAMBURGI

TYPIS CONRADI KÖNIGII, AMPLISS. SENATUS, GYMNASII
ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.



enis jam, & diu morbo grauissimo conflictati, tanquam iuuenis ac fortissimi, mortem dolet moestissima ciuitas; antistitem suae salutis luget ac consulem meritis innumeris clarum, *Virum Magnificum, Nobilissimum, Amplissimum, Con-*
sultissimumque **NICOLAUM STAMPEELIUM**,
 cuius quot eximiae fuere virtutes, tot nunc sunt desiderii relicti ac iustae tristitiae causae. Nunquam enim non mature decedit, cui, si id permetteret rerum humanarum fragilitas, bonorum votis in signum grati animi aeternitas decerneretur; nec dolorem mitigat tristis futuri mali antecedens coniectio, quae potius variam ac curiosam de iactura faciunda deliberationem gignens mentem fatigat ac deprimit, vt verum nunc, quod antea saltem cogitauerat, malum eo grauius sentiat, quo imbecillior nec tot simul ingruentibus curis resistere, nec solatia, ipsa jam cognita ac hinc leuia, recipere potest. Non igitur ciuitati nostrae de obitu sui Consulis querenti peruulgata illa solatia adhibenda erunt: Senex erat, infirmus erat; quippe quae vim suam amisisse ac a dolore superari videntur. Vnicum saltem restat nostri moeroris remedium & in eo ipso, qui nostros concutit animos atque percellit, casu quaerendum. Ea enim est DEI summi, omnium rerum gubernatoris sapientissimi benignitas, vt omnibus duplex insit rebus facies, altera, quae terreat, altera, quae delectet, quo possint homines, si mens non laeua illis erit, ex ipsa re, quae aegritudinem attulit, medicinam capere.

Sequamur ergo naturam atque tum in pietate, quam pompam funebrem optimi Consulis decenti frequentia splendidiorem efficientes publice testemur; tum in contemplatione virtutum Consulis, in qua defixi non possumus non summa perfundi voluptate, ea, quae alia ratione denegantur,

& quaeramus & inueniamus solatia. Jam vellem, vt mihi maior & ingenii vis & dicendi facultas contigisset, quibus adutus laudes STAMPEELII, quae, si facta dictis exaequanda essent, vel disertissimi animum distrahere possent, ea, quam mos majorum seruari iubet, breuitate satis luculenter exponere, ac Vestro, Ciues, desiderio satisfacere valerem. Quapropter, si nonnullis scriptio haec circumscriptior & adductior videatur, rogo, ne meae vel imbecillitatis, vel verecundiae culpam in ipsam materiam transferre velint, cuius per se diffusissimae largam mihi suppeditarunt amici copiam.

Verum enim vero, ne ei, quod jam mihi injungitur, officio deesse videar, summas ducam lineas, quibus adumbrata potius, quam expressa AMPLISSIMI CONSULIS imago mentibus Vestris succurrat, vt intelligatis, quanta ad leniendum dolorem vis infit virtutum personae amatae contemplationi. Viuet ille in memoria Vestra, Ciues, & semper in sermone vestro versabitur, nec me monitore egetis.

Lucem vidit CONSUL NOSTER Hamburgi die xxix. Augusti MDCLXXIII. honestissimis parentibus vsus; patre HENRICO STAMPEELIO, mercatore diligentissimo; matre vero ELISABETHA, NICOLAI a FECHTE Senatoris prudentissimi filia multis virtutibus ornata. Mouit parentem, quamuis rei familiaris, vt decet mercatorem, studiosissimum, summa, quae jam in puerili aetate non latebat, ingenii alacritas ac docilitas, ardensque in litteras amor, vt eum, quem tot jam explendescens naturae dotes nec familiae, nec sibi, sed patriae natum ostendebant, Musis dicaret, & fas erat, ei ad maiorem fortunam non praecludi viam, cuius postea petus generoso incoctum honesto satis docebat, nil tam alte a natura esse collocatum, quo virtus non eniti possit. Non longus sum in commemorandis studiorum initiis: hoc vnicum adfero, eum, qui ab ineunte statim aetate multis exemplo esse potuit, non spreto publico iudicio, quod praeceptores publicos eligit, probat constituitque, in Johanneo nostro solida eruditionis deinde copiosissimae fundamenta jecisse.

Anno MDCXCI. dignus visus est, qui in numerum ciuium Gymnasii nostri referretur, eosque sua diligentia ac indefesso studio ad pares virtutes incitaret. Ibi imprimis studiorum suorum testem, ducem, ac magistrum coluit, decus illud Gymnasii nostri, VINCENTIUM PLACCIUM, cui se ita probauit, vt ab eo filii loco sit habitus. Testem hujus facti adduco ipsum PLACCIUM, ne quid temere de re longe a mea aetate remota adferre videar. Sic enim iste epistolam orditur, quam specimini eruditionis nostri STAMPEELII egregio; *Dissertationi de jure naturali vsurae* sub illius praesidio Anno
MDC

MDCXCV habitae, non sine animi commoti significatione ad-
 jecit: "*Impleuisti, Juuenis exoptatissime, auditor instar filii mihi*
quintum jam in annum probate, dilecte: impleuisti omnino
desiderium atque spem meam." Agnosceatis ex ipso dicendi
 genere, nec ambiguo, nec infucato praeceptoris amantis sin-
 cerum de dilecto discipulo iudicium. Praeterea studia ejus
 consiliis sapientissimis regebant clarissimi viri, LUCAS a BO-
 STELN tunc Syndicus, postea Consul, domi forisque celebra-
 tissimus, & de patriae rebus tam aduersis, quam secundis immor-
 taliter meritis, NOSTRI affinis & exemplar; itemque ABRA-
 HAMUS HINCKELMANNUS, Pastor ad aedem S. Catha-
 rinae prae multis spectatissimus. Prudentissimis hisce ducibus
 juuenis ingenium probabatur & cujusuis doctrinae cupidum, &
 amplissima fortuna eum in modum dignum, vt non jam solum
 de eo bene sperare, sed etiam confidere ciues possent sui, ta-
 lem futurum, qualem cognitum iudicarunt.

Exacto in Gymnasio quinquennio, o felicissima pristino-
 rum temporum conditio! omnis doctrinae institutis ac bona-
 rum artium praeceptis abundans abiit in academias, vti cele-
 berrimas, ita tali eruditionis suppellectili instructo maxime
 commodas. Primum Lipsiae GOTHOFREDUM BAR-
 THIUM, vt in explicandis legibus diligentissimum, ita in
 agendis causis versatissimum audiuit: deinde Lugduni Bata-
 uorum scholas PHILIPPI REINHARDI VITRIARII jus
 publicum docentis ac JACOBI PERIZONII omnium anti-
 quitatum ac elegantiorum litterarum peritissimi, frequentauit:
 Argentorati denique JO. SCHILTERUM legum ac antiqui-
 tatum germanicarum interpretem & studiosissimum & felicis-
 simum in iis studiis, quae deinde semper amauit, non sine sum-
 mo fructu sibi ducem elegit.

His celeberrimis ac in omni scientiarum genere excellen-
 tissimis magistris vsus incomparabilem hanc sibi omnium rerum
 scientiam comparauerat, qua postea efficiebat, vt semper, si
 quid abditum & reconditum quaereretur, sententiam rogatus om-
 nium desiderium non expleret modo, sed etiam superaret.

Hac quidem optima ratione versabatur STAMPEELIUS
 noster in istis studiis, quae saltem ad rerum cognitionem per-
 tinent mentemque praeparare quidem, non vero, vt ab vsu vitae
 remotiora, ad ipsas res gerendas idoneam reddere valent. Nec
 tamen in illis acquiescebat, sed eas potissimum circumspiciebat
 artes, quibus ipse, qui omnia, in quibus operam collocabat,
 nec ad voluptatem, nec ad vanam gloriam, sed ad illum, quo
 in patriam ferebatur, amorem, referebat, desiderio suo fla-
 grantissimo patriae inserviendi satisfacere posset.

Non

Non igitur, antequam ad munus publicum vocabatur, in hortis Epicuri suauiter quidem, sed otiose ac turpiter viuens delitescere, nec cum Platonicis vitam abditam ac ab omnibus rerum ciuiliū strepitibus longe remotam quaerens suauibus, sed inanibus vel de optimo Vtopiae statu ciuili, vel de plurimum mundorum pulchritudine somniis delectabatur: sed, quae optima proficiendi est via, regiones tam ipsius Germaniae, quam exteras, Galliam, Daniam, Sueciam, Britanniamque visens id agebat, vt vel quae in scholis antea didicerat, ipso vitae vsu confirmata cognosceret, vel quae a felicioribus peregrinis in commodum humani generis essent inuenta, in patriam reportaret, iisque, vt postea faciebat, ejus salutem augetet. Quod vt efficeret, non in peregrinationibus turrium, templorum & aedificiorum publicorum spectatorem, aut fontium ac aquarum ludentium admiratorem, aut spectaculorum publicorum laudatorem, aut denique voluptatum exoticarum adprobatores, vt fieri solet, se gessit, sed in eo occupatissimus fuit, vt vel ea vndique conquireret, quibus scientia sua augetetur, vel ea penitus inspiceret, quae aut communis hominum vitae, aut singularum rerum publicarum ratio in vsu tum patriae vniuersae, tum commerciorum illum docere posset. Hinc tam assidua antiquitatum Britannicarum conquisitio, vt & ad Scotos, qui alios potius visunt, quam ipsi visuntur, abiret, tamque illarum accurata inspectio: hinc tam splendida librorum optimorum & rariorum collectio bibliothecae selectissimae nunc ornamentum; hinc tam mira sagacitas, tam subtilis de rebus ad commerciorum vtilitatem pertinentibus disputatio, tam singularis in omnibus rebus prudentia, quibus virtutibus vel admodum paucis vel nemini cessit.

His quidem maxime feriis ac gravissimis studiis praecipue delectabatur noster ad maxima quaeque natus STAMPEELIUS, quibus tamen non impediebatur, quominus ad ea, quae tam generatim jucundiorē vitam reddunt, quam ingenio ciuili singulare decus adjiciunt, animum omnium artium capacem applicaret. Taceo jam linguam Latinam, cujus puritatis ac elegantiae tam erat studiosus, vt vel cum viris hac sola gloria claris certare potuisset; taceo linguam Gallicam, cujus verba tam suauiter pronuntiabat, vt in iis natiuum quendam leporem, non ascitum vel ipsi Galli agnoscerent: taceo linguam Britannicam & Italicam, quas ita callebat, vt quae iis erant expressa, quamuis essent intellectu difficillima, sine haesitatione explicare posset: taceo denique sermonem Teutonicum, cujus tam veteris, quam vsu hodierno probati adeo erat gnarus, vt in hoc studiorum genere doctores docere potuisset; taceo, inquam, haec omnia; quippe quae tanto ingenio necessaria magis, quam decora videantur. Solam igitur artem musicam commemorabo, cujus tam erat peritus, vt, quando fidibus, quae in ligno hunc in vsu parato & sonos reddente extensae & junctae in ipso vsu ad genua applicantur, canebat, non eos modo, quos sola voluptas ad hanc operam vocabat, facile vinceret, sed & illis, quibus haec sola ars placebat, palmam praeriperet. Cujus quoque in hac arte positi laboris fructum tulit, quum ea sibi aditum paternae familiae postea valde fructuosum ad magnum quendam Principem pararet.

Vidimus haecenus STAMPEELIUM nostrum eas artes sibi comparantem, quibus deinde iis muneribus, ad quae, vt praestantia ejus omnium oculos incurreret, eum euocabat fortuna, plus fere reddebat ornamentis, quam ab illis accipiebat: nunc istum videamus reditum in patriam post octo annos, quos peregrinationibus impenderat, parantem, quae, vt solet ingenia suorum ciuium suspicere, eum jam auidissime exspectabat. Quamuis vero nec commendationes, vel superbos titulos circumspiciat virtus se ipsa contenta; tamen, vt, quae de se sperare posset patria, nemini ciuium suorum esset incognitum, summis in vtroque jure honoribus, quos Anno MDCCVII. ordo Jctorum, qui Lugduni Batauorum floret, in veterem commilitonem conferebat, lubentissime, se ornari gaudebat.

Vidimus

Quum illo ipso specimine, cujus præmiū isti honores fuerant, non magnam modo eruditionem ostendisset, sed & insignem in patriam amorem testatus esset, (scripserat enim *de eo, quod interest Imperii R. G. circa ciuitates Imperiales*) magna eum præcessit fama, sed maior ea inuentus est, ciuūque expectationi licet maximæ, semper ejus præstantia exactissime respondit. In patriam igitur Ao. MDCCVIII. reuersus statim causis in foro agendis demonstrauit, quantum suo ingenio suæque arte effici posset. Vt vero liberius ac securius, quum rei familiari esset prospectum, & domesticis fomentis ac deliciis fessus negotiis ac curis publicis fatigatus reficeretur, totum se rei publicæ tradere posset, Anno MDCCIX die iv Junii tori sociam sibi junxit virginem matronalibus virtutibus insignem, JOHANNAM, BARTHOLDI LASTROPII mercatoris nobilissimi filiam, quæ eum quinque liberorum patrem fecit. Procreauit enim ex illa NICOLAUM, quem adhuc infantem mors fato prope abstulit; ANNAM ELISABETHAM, auspiciatissimo matrimonio cum NICOLAO PERSENT mercatore celeberrimo nunc conjunctam, ex qua duos nepotes JOHANNEM NICOLAUM & PHILIPPUM MARTINUM, ac duas neptes, MARGARETHAM atque HANNAM, vidit; PETRUM HENRICUM mercatura clarum, ex quo & conjuge ANNA CATHARINA, KOPPIÆ gentis ornamento, cujus præmaturam mortem mox post puerperium gaudia sua turbantem non sine dolore recordatur maritus nunc secundo matrimonio cum JOHANNA REGINA, JOHANNIS HENRICI SIMONIS, J. V. Doctoris ac Senatoris prudentissimi filia inito felix, nepotem NICOLAUM cum caeteris liberis & nepotibus, quæ DEI est gratia, superstitem suscepit; porro NICOLAUM mercaturæ deditum, & denique GESAM, virginem eximiis naturæ dotibus ornatam.

Jam ex hac parte fortunatus; tamen honores ambiciose nunquam petiit, sed tanta ejus fuit modestia, vt se ipse majoribus, quorum spes maxima illi affulgebat, indignum iudicaret minoribus contentus. Vt vero patria suis laboribus frueretur, curam documentorum publicorum, quam antea Syndicus senior gesserat, cui vero crescentibus in dies negotiis vacare amplius non poterat, sibi demandari passus est, & primus fuit, cui titulus Archiuarii & multum splendoris & multum sudoris adtulit. Subiit hoc munus Anno MDCCX. bonis auius alacriter, nec eum deterrebat dura non amantibus rempublicam lex, quæ per decennium omnis spes amplioris honoris ei adimebatur, & per tot annorum spatium tantum oneris illi imponebatur, si modo jure onus dici poterit, quod, vt per totam vitam ferret, summis semper in votis habuit. Quibus vero verbis efferam summam ejus in hac sparta diligentiam, curam incomparabilem, labores Herculis potius, quam hominis in nostris terris nati etiam cum sanitatis dispendio exantlatos, quibus non summam modo gloriam, sed & immortalitatem sui nominis consecutus est, ipse ignarus haereo. Laudent hæc alii, quorum oculis se non subtrahunt illæ, quibus fundamenta salutis reipublicæ continentur, chartæ tam diligenter collectæ, tam apte dispositæ, tam scienter in pauca verba contractæ; mirentur hæc illi, quos, quantum auxilii sibi grauiſſimis negotiis grauat, quantum emolumentum reipublicæ hæc strenue nauata opera adferat, quotidiana experientia docet; prædicent ista illi, quorum sola autoritas & nunquam temerata fides omnem de rebus tot tantisque ab vno homine feliciter effectis dubitationem tollere potest.

Laude sane maxima hæc essent extollenda, si illis, quibus vel plurimum hominum opera vix sufficere videtur, omnibus aliis curis solutus vacare potuisset noster, sed, qui erat illius omnia vincens in patriam amor, videbantur illi negotia hæc molestiarum plena gaudia saltem grauioribus curis interdum interposita. Distinebatur enim animus ejus aliis non minoris ponderis negotiis, quæ vel necessitas temporum, vel Dominorum Syndicorum in immensum auctus labor ei demandari jubebant. Interfuit celeberrimo illi omnium fere Principum Europæ legatorum concilio, quo Ao. MDCCXIII. Trajecti ad Rhe-

num communi pace salus Europae restaurabatur, ibique istius, quo tantum praesidii ac emolumentum nostris accedit commerciis, Ciuitatum, quae adhuc Hanseatico foedere sunt clarae, cum Potentissimo Galliarum Rege Anno MDCCXVI. initi foederis felicissima fundamenta jecit, ut merito optimi merciorum nostrorum status autor nominari possit. Multa deinde alia aequae grauiissima negotia litteris lingua Latina, Gallica ac Teutonice ad aulas Potentissimorum Regum Britanniarum & Daniae datis, feliciter gessit & perfecit. Quae si omnia sigillatim persequi vellem, non me quidem voluntas, sed & tempus & charta & jam ipsae vires deficerent:

Hisc tam egregiis, quibus primam ornauerat spartam, jam insignem meritis vix elapso decennio ac prima data occasione Anno MDCCXXI. ad Senatoriam dignitatem euehit grata in tantum ciuem patria. Illum vero nec factorum tam egregiorum conscientia, nec major dignitas ac ex ea major & autoritas & gratia enata ulla ratione mouere potuerunt, ut quicquam ex pristina assiduitate remitteret, vel plus sibi & familiae, quam antea daret rigidi semper in iis, quae ad se spectabant, seruator honesti. Testatur id praetura urbana summa quidem tranquillitate, sed simul summa iustitia, prudentia, ac diligentia gesta; testantur id variae, quas ad aulam Hanoueranam obiit, legationes; testantur id tot in salutem pagorum syluestrium & aridioris regionis ab eo inuenta & publica autoritate confirmata consilia: testantur id denique collectionum thesauri, quibus causas, quae ad omne genus negotiorum publicorum, inprimis vero ad politiam & commercia pertinent, illustrauit. Tanto enim ex pristina consuetudine publicorum documentorum amore tenebatur, ut omni oblata occasione etiam jam consul ad tam sibi dilecta studia reuerteretur.

Dignus sane jamdudum fuisset STAMPEELIUS, quem summa in nostra ciuitate dignitas tam alte collocasset, ut omnibus, quorum opera salus reipublicae nititur, exemplo esse potuisset. Nec defuit Amplissimo Senatui, ut ei praemii loco hi decernerentur honores, voluntas, sed jam aliquoties fors ipsi feliciter non exierat, donec tandem Anno MDCCXLIII. prouidentia diuina factum est, ut magno, cuius memoriam summa semper recolemus pietate, ANDERSONIO magnus daretur successor. Quanto autem omnium bonorum applausu nouus consul sit exceptus, id vel ex egregio isto carmine intelligitur, quo nomine summorum virorum, qui ex amore in patriam Patriotae vocari amant, quorumue societati anno MDCCXXXI accesserat, suas laudes laudibus STAMPEELII augens RICHEIUS noster, poeta dulcissimus, post annum hosce honores ei est gratulatus. Non opus erit multa de rebus ejus in Consulatu gestis adijcere. Quis enim ignoret virtutem sibi semper constare, ac nostrum Consulem semper iustitiam ac constantiam caeteris suis virtutibus anteposuisse?

Vltima tamen, & si Christianis jam non displiceant Christiana, sane maxima laus commemoranda erit: mira scilicet illa ex fide in Christum, non ex vanis philosophorum doctrinis, nata patientia, qua non dolores modo, quos malum ex profluvio salivae spontaneo, ptyalismum vocant medici, primum ortum ac deinde asthma ac marasmo senili auctum ei adtulerat, frangebatur, potius, quam ab ipsis frangebatur, sed & ipsam mortem ferebat.

Hic fuit Vester Consul, Ciues! hoc fuit Ciuitatis nostrae dulce praesidium & decus, cuius obitus diem xxii. Maji, MDCCXLIX. atrum & detestabilem fecit! Sed plura jam scribere conantem & moestitia ex ipsa huius casus contemplatione enata, & ipsi termini huius scriptionis reuocant. Hoc vnicum igitur adijciam votum: Restituat DEUS reipublicae patre orbatæ patrem: moestissimae vero STAMPEELIANAE genti ea adhibeat solatia, quae ab sola eius sapientia expectari possunt.

